

verbo Catones & Fabricii appellantur. Magnus equidem bonos habendus antiquitati, quæ rigida morum disciplinâ homines ad virtutis regulam compositos ut plurimum efformavit. Sed quis aded iniquus ævo nostro, ut extincta penitus virtutis semina latens in angulo plorare velit, neque modum inveniat? Contra ego dum veteres mores, & facta cum presentibus comparo, etsi defluxam in deterius disciplinam doleam, mentis oculos ad præstantem virtute virum convertens gratulor ipse mihi, & totus in plausum effundor, neque invideo veteribus ævum & laudes: facile namque mihi persuadeo, ut si antiquorum industriam in decantandis Heroibus imitari velimus, & nos quoque posteris memoriam traderemus admiratione non indignam, & quæ legentium animos amore demulceat, cum animadverterint eo pluris faciendam esse hoc tempore virtutis laudem, quo majori nisu ad eam contendere debeamus in tanto luxu, atque, ut liberè dicam, in tanto delirantium numero, qui bonos impetu factò in præceps deturbat.

Mirum fortasse Tibi videatur, PRINCEPS EMINENTISSIME, hominem in evolvendis antiquorum monumentis quotidie occupatum, ac ferme suû oblitum hæc liberè pronunciantem, & vitio fortasse dabis quòd operæ ipse suæ aliquantisper pretium imminuat; Sed ego, quem nullus amore vetustatis fortasse superaverit, contentus præsentis lucè, sua veteribus non invideo, mibique persuadeo non defuturos domi forisque dignos